

Venit Iesus et accipit panem et dat eis, et piscem.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 21, 1-19

In illo témpore:

- ¹ **M**anifestávit se íterum Iesus discípulis ad mare Tiberíadis; manifestávit autem sic.
- ² Erant simul Simon Petrus et Thomas, qui dicitur Dídymus, et Nathánael, qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi et álii ex discípulis eius duo.
- ³ Dicit eis Simon Petrus: «Vado piscári». Dicunt ei: «Venímus et nos tecum». Exiérunt et ascendérunt in navem; et illa nocte nihil prenidérunt.
- ⁴ Mane autem iam facto, stetit Iesus in lítore; non tamen sciébant discípuli quia Iesus est.
- ⁵ Dicit ergo eis Iesus: «Púeri, numquid pulmentárium habétis?». Respondérunt ei: «Non».
- ⁶ Ille autem dixit eis: «Míttite in déxteram navígii rete et inveniétis». Misérunt ergo et iam non valébant illud tráhere a multitudíne píscium.
- ⁷ Dicit ergo discípulus ille, quem diligébat Iesus, Petro: «Dóminus est!». Simon ergo Petrus, cum audísset quia Dóminus est, túnica succínxit se, erat enim nudus, et misit se in mare;
- ⁸ álii autem discípuli navígio venérunt, non enim longe erant a terra,

sed quasi cúbitis ducéntis,
trahéntes rete píceium.

⁹ Ut ergo descendérunt in terram, vident prunas pósitas
et piscem superpósitum et panem.

¹⁰ Dicit eis Iesus:
«Afférte de píceibus, quos prendidístis nunc».

¹¹ Ascéndit Simon Petrus
et traxit rete in terram, plenum magnis píceibus,
centum quinquagínta tribus;
et cum tanti essent, non est scissum rete.

¹² Dicit eis Iesus: «Veníte, prandéte».
Nemo autem audébat discipulórum interrogáre eum:
«Tu quis es?», sciéntes quia Dóminus est.

¹³ Venit Iesus et áccipit panem et dat eis
et piscem simíliter.

¹⁴ Hoc iam tértio manifestátus est Iesus discípulis,
cum resurrexísset a mórtuis.

¹⁵ Cum ergo prandíssent, dicit Simóni Petro Iesus:
«Simon Ioánnis, díligis me plus his?».
Dicit ei: «Etiam, Dómine, tu scis quia amo te».
Dicit ei: «Pasce agnos meos».

¹⁶ Dicit ei íterum secúndo: «Simon Ioánnis, díligis me?».
Ait illi: «Etiam, Dómine, tu scis quia amo te».
Dicit ei: «Pasce oves meas».

¹⁷ Dicit ei tértio: «Simon Ioánnis, amas me?».
Contristátus est Petrus
quia dixit ei tértio: «Amas me?».
Et dicit ei:
«Dómine, tu ómnia scis, tu cognóscis quia amo te».
Dicit ei: «Pasce oves meas».

¹⁸ Amen, amen dico tibi:
Cum esses iúnior, cingébas teípsum
et ambulábas, ubi volébas;
cum autem senuéris, exténdes manus tuas,
et álius te cinget et ducet, quo non vis».

¹⁹ Hoc autem dixit
significans qua morte clarificatúrus esset Deum.
Et hoc cum dixisset, dicit ei: «Séquere me».

Verbum Dómini.